



ARCHELAVS magni Herodis Aſcalonitæ filius, ſucceſſit patri in regno Iudæorum anno mundi 3964. poſt Chriſtum natum 2. Auguſtus imperator Archelaum Idumææ, Iudææ, & Samariæ: Antipam, qui & Herodes, Galilææ: Philippum Gau- lanitidis, Trachonitidis, Bathaniæ, & Paneados Tetrarchas ex teſtamento Herodis designavit. Hic Archelaus in ipſis regni auſpiciſ modestus admodum, noluit Rex appellari, donec cõfirmaretur ab Imperatore, apud quem ab Antipatro fratre accuſatus, abſolvitur. Confirmatus Tetracha, malè adminiſtravit. Accuſatus iterum apud Imperatorem, exilio damnatur, & relegatur in Galilæam: poſtea Cyrenius ac poſt eum Pilatus Romanorum nomine Iudæam adminiſtrant. Iose. libr. Antiq. 17. ca. 10. vſq; ad finem 17. & lib. 2. de bel. Iuda. cap. 4. Regnavit Archelaus annis novem, & deſiit regnum Iudæorum: nam Iudæa in prouinciam redacta, Syriæ tunc iuncta eſt. Iose. li. 17. Antiq. ca. 19.

GLAPHYRA Alexandri Cappadocum regis filia, nupſit primùm Alexãdro fratri Archelai ſupradicti, deinde Iubæ Maurorum Regi, deinde ipſi etiam Archelao, qui contra legem Mariam priorem vxorem dimiſit. præterea ſuſceperat ex Glaphyra filios Alexãder, huius Archelai frater: quare apparuit vxori in ſomnis exprobrans ei in hæc verba: nunc cõfirmas prouerbium, fidem mulieribus non habendam: nonne mihi iureiurando conſtricta es, & iugali fœdere virgo ſociata? poſt ſuſceptos etiam filios (chara pignora) amoris noſtri oblita es, iterum nubens, imò tertio, atq; cum meo fratre: nunquam tamen ego tui obliuiſcar: quin liberabo te opprobriis, & efficiam vt mea, ſicut fuiſti, in perpetuum ſis. ac poſt paucos dies hæc obiit. Iose. li. 17. ca. 19.